

BX 1756

.F3

C6

V.5



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

R. P. MATTHIÆ FABRI

E SOCIETATE JESU

## CONCIONUM PARS FESTIVALIS,

IN QUA INSERUNTUR CONCIONES SILVÆ NOVÆ SEU OCTARII,

IN FESTO SANCTI ANDREÆ.

EVANGELIUM. MATTH. IV.

In illo tempore, ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duo fratres, Simonem, qui vocatur Petrus et Andream fratrem ejus, mittentes, rete in mare (erant enim piscatores) et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, et vocavit eos. Illi autem, statis relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

### CONCIONES

I. *Varie conscientiæ.*

II. *Ho unes comparantur piscibus.*

III. *Cur elegerit Christus homines simplices, abjectos, pauperes in apostolos.*

IV. *Hæresiarchæ nostri temporis eorumque sectatores, cujusmodi sint piscatores.*

V. *Qua ratione omnes Christiani sequi possint ac debeant Christum.*

VI. *Quomodo S. Andreas Christum secutus sit.*

VII. *Documenta evangelii.*

VIII. *Mysteria evangelii seu catechesis*

#### CONCIONES AUCTARII

I. *Mundus similis mari Tiberiadis.*

II. *Crucem quæ faciant amabilem.*

III. *Andreas virilis, seu fortis.*

IV. *Cruz Andreana, in qua boni male, mali bene habent mitigatur.*

V. *Miro A dreæ et aliorum apostolorum vocatio.*

#### CONCIO I.

VARIE CONSCIENTIÆ.

— II. Lacerata. — III. Nimis ampla. —  
IV. Stricta nimis. — V. Nimis fragilis. — VI. Sibi  
— VII. Bona.

#### THEMA.

*Vidit alios duos fratres reficientes retia sua.*  
Matth. IV.

Veterum scriptis proditum est (Plutarchi et  
Valerii M. I. IX. c. XII.) Homerum poetam, quia  
signa a piscatoribus sibi propositum solvere  
non poterat, stomacho et ira absumptum periisse.

V. PARS FESTIVALIS.

Ænigma erat hoc: *Quæcumque cepimus, relinqui-  
mus, et quæ non cepimus, gerimus.* Nimirum ver-  
miculos cuti adherentes illi venabantur, et captos  
abjiciebant, non captos secum gerebant. Sed pos-  
sumus utilius dissolvere hoc ænigma, si dica-  
mus, bestiolas esse peccata animam rodentia,  
retia vero conscientias. Qui enim in conscientia  
sua peccatorum venationem et examen inslituit,  
peccata deprehendit, et deprehensa abjicit per  
contritionem et confessionem: qui non instituit,  
peccata secum gerit, magno suo damno. Hujus-  
modi venatores seu piscatores utinam nos simus.

008382

et utinam hoc rete non in anno semel, sed quotidie expendamus in corde nostro, ad deprehendenda et mactanda infesta, hæc animacula. Et forsitan propterea naturæ auctor Deus circa viscera nostra rete quoddam texuit, ut inde moneamur, rete conscientie circa animas nostras gerere expansum. Sed vereor ne quam plurimi, ad instar piscatorum hujus evangelii lacera et alii defectibus obnoxia habeant retia, quæ nisi emendantur et illorum exemplo reficiantur, parum aut nihil proderunt. Hoc itaque nunc agamus.

I. Retia aliqua sunt implexa et perturbata, ad captum inutilia. Et talis est conscientia, de qua Sap. XVII. dicitur: *Semper præsumit sæva, perturbata conscientia*. Invenire enim est homines, qui cæco quodam furore horribilia aggrediuntur, quæ necessario eis exitum aut ingens damnum famæ, pecuniæ vel vitæ, allatura sunt. Talis fuit Pharaon, qui intra liquidissimos maris rubri muros, certissimam ei mortem intentantes ingredi non timuit, ideoque ab illis obrutus est, Exod. XIV. Tales et Hebræi, quibus licet Moyses ex Dei mandato præciperet, ne ascenderent ad Chanaanos impugnandos, quod res periculosissima esset (dum scilicet facillime deturbari a superioribus inferiores ascendentes poterant) ipsi nihilominus contenebrati, id est, excæcati contumacia sua, ascendere conati sunt in verticem montis, factumque ut ab Amalecitis et Chanaanais deturbarentur, et conciderentur, Num. XIV. Multi hos sequuntur, qui in verticem gravissimorum scelerum velut insani contendunt, et inde in maximam perniciem corporis et animæ deturbantur. Multi cum Pharaone in præsentissima æternæ et quandoque temporalis etiam mortis pericula cæca mente ruunt. Inveniuntur, qui se inebriant, et conscientiam suam exoculant, quo audacius horribilia perpetrent, fornicentur, vulnerent, occidant; vel etiam accidantur, de quibus dicit Dominus, Matth. VIII. *Exterminant (Græce, demoliantur; Syriace deturpant) facies suas*. Hoc enim faciunt, qui faciem conscientie obnubunt vel a se ablegant, dum nolunt considerare, quid acturi sint et quid inde illis eventurum, similes elephantibus, qui, uti scribit pierius, l. II. hierogl. suamet speciem utpote turpem veriti, perturbant aquas, antequam inde bibant, ne suam intueantur in iis turpitudinem. Eadem in illis meticulositas facit ut pontem angustum transituri, aversi transeant ne vertigine involuti decident quemadmodum se vidisse Puteolis scribit Mutianus, apud Plinium. l. VIII. c. III. Tales vero quinam sunt, nisi qui retrorsum, id est, absque consilio prævio in peccata ruunt? Quibus dicit dæmon: *Mitte te decorsum*, quasi deceret:

Ne considera peccati turpitudinem, pœnas inferni, etc.

II. Alia sunt lacerata, quæ nullum piscem retinent, et talia erant retia apostolorum, quæ in hodierno evangelio reficiebant. Ejusmodi est conscientia vitiorum ulceribus plena adeoque peccatis omnibus pervia, quam apostolus, l. Tim. IV. *Cauteriatam* vocat conscientiam, id est, eam quæ sensum peccati amisit instar partis cauterio inustæ, inquit Franciscus Turrianus, in can. XLIV. apostolorum. *Locus enim cauterio inustus priorem sensum amittit*, ait ibi Theodoretus. Tales ergo sunt infames, impudentes, stupidi et immutabiles, qui ob quævis peccata nullum in conscientia remorsum sentiunt, quia illis pleni sunt. Quemadmodum enim vesica pistris stota repleta nullum edit sonum, secus si tria quatuor tantum grana in turgidam immiseris: ita cor peccatis plenum non objurgat peccatorem, secus si pauca tantum deliquerit. Habent isti conscientiam peccatis æstuantem, qualem struthiocamelus stomachum, qui ob ejus colorem etiam ferrum absumit et concoquit, auctore Bartholomæo Anglico, lib. XII. c. XXXIII. Pari enim modo inveterati malorum omnia scelera concoquunt: nulli ructus ex ciborum cruditate, hoc est, nulli remorsus peccatorum enormitate cor eorum reverberant. Queritur de hujusmodi Deus, Thren. IV. cum ait: *Filia populi mei crudelis, quasi struthio*. Crudelis in Deum, proximum, seipsum, quia omni vitiorum genere semeipsum dire cruentat. Et qui talis est, cauterio dæmonis notatus est ad damnationem, quasi ovis ad macellum.

III. Alia justo ampliora sunt, qualia sunt corporum retia, per quæ lepores et vulpes inoffenso pede transeunt. Tales conscientie sunt, quæ majora tantum peccata observant, minora nihili æstimant, istis ergo transitum liberaliter indulgent, solis illis negant. Ita affecti sunt qui mendacia non vitant, nisi cum in alterius damnum cedunt, quemadmodum Darius Hystaspis aiebat: *Ubi expedit mendacium dicere, dicatur*. Item juramenta nisi solemnitate vestita. Tales item qui furari divitiibus pro nihilo habent, qui se ebrios non reputant, nisi cum vomuerunt instar canum, aut e convivio asportantur instar vitulorum, etc. Emendanda est talis conscientia quia pertinet ad spatiosam viam et latam portam, quæ ducit ad perditionem, Matth. VIII. sicut enim in inferiore parte domus, ubi stabulantur equi, boves, canes, lata porta est: in superiore vero, quæ hominum habitatio est, angusta; ita et sensuales homines latam sequuntur conscientiam; spirituales vero strictam. In cujus rei typum templum Salomonis, qua ingressus omnibus patuit, ostia habe-

bat: oraculum vero, qua pontifici tantum ingredi licuit, ostiola, III. Regne. VI. Per hæc ostiola et angustam portam ingrediebatur S. August. qu. l. I et II. confessionis suæ minima et pueritiæ suæ delicta deplorat ut quod cum cœcivis poma ex alienis hortis diripuerit, quod ob ludum pilæ parentum monita neglexerit, quod fabulas sectatus fuerit, spectacula adierit, etc.

IV. Alia nimis stricta se angusta sunt, quibus capiuntur gobii alique minimi pisciculi: hujusmodi conscientiam habent, qui minima quæque rimantur, et pro magnis habent, quique peccatorum umbras timent, ut qui primos motus et inconsideratas cogitationes de re mala, qui involuntarias in oratione distractiones, qui fœda somnia pro peccatis habet. Talis Gedeon, Jud. VI. et Manue cum uxore, Jud. XIII. qui ex vulgi vana opinione moriendum sibi timerunt quod angelum vidissent: non distinguentes inter aspectum curiosum, qualis fuit in Bethanitis, l. Reg. VI. et piium, qualis in Jacob, Gen. XXXII. Non male istos dixeris similes esse capræ, quæ, ut ferunt, si alligetur ei panus rubeus, ut videri ab ipsa possit, statim incipit claudicare, velut sauciam se reputet. Hac enim ratione quidam, ubi malam cogitationem primo intuitu aspexerint, jam se vulneratos, mortisque filios putant, fitque ipsorum culpa sepe, ut revera vulneretur, adeoque peccata fiant, quæ alioqui nulla sunt. Talis erat servus ille timidus, Luc. XIX. qui persuaserat sibi, dominum suum (Deum) severum esse, et rigidum lucri exactorem, metere ubi non seminavit, etc. et interim talento sibi tradito lucrum non faciebat. Unde audit a domino: *De ero tuo te iudicio, serve nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi, et quare non dedisti pecuniam meam ad usuram?*

V. Alia sunt fragilia et humilia, quæ capiunt lepores et vulpes; sed a cervis transiliuntur, ab apris perrumpuntur: tales conscientie sunt, quæ parva peccata mactant, magna vero vivere sinunt; quo nomine taxantur a Christo Pharisei. Matth. XXIII. quod decimarent mentham et anethum et cuminum, et relinquerent, quæ graviora sunt legis, iudicium, misericordiam et fidem: *Duces cæci*, inquit, *excolantes cucilem* (e scypho videlicet) *camelum autem glutientes*; ad hæc conscientie sibi ducebant intrare in prætorium ne contaminarentur, et interim non verebantur Christum inique occidere, Joannes XVIII. scilicet uti leo gallum gallinaceum et ilicis folia timet, qui tamen alioquin, *ad nullius occursum pavet*, Prov. XXX. ita illi levia timebant peccata, in gravia irruerant: quibus adhuc mulos similes reperias, velut, qui

mendacia summo studio fugiunt, blasphemare vero et detrahere non dubitant, item qui nec obolum volunt accipere, qui ipsis non debeatur, interim tatem usuras exercent; rursus qui in vigiliis jejulant religiose, at in festis se inebriant. Quorum conscientia similis est araneorum telis, quæ parvulas muscas retinent, sed a magnis lacerantur.

VI. Retia sunt eaque piscatorum, quæ in extremitatibus, qua parte attrahentibus vicina sunt laxa, in medio vero qua remotiora sunt, et in mare sese porrigunt, stricta sunt. Hujusmodi conscientias dico eas, quæ laxæ erga semet, strictæ erga alios sunt; sibi plurima indulgent, aliis interdiciunt: in aliis reprehendunt, quæ in se non culpant; similes leoni, qui æternum ignem metuit, eum tamen, quem in ossibus gerit, nec videt, nec metuit, Pier. l. I. hierogl. Annon talis fuisse tibi videtur Alexander Magnus, qui Dionidem piratam cum cepisset, et interrogasset cur maria infestaret et prædas ageret, hoc responsi tulit: *Ego quoniam id unica navicula facio, pirata vocor, cum tu Alexander idem facias magna classe, rex appellaris*, Plut. in Alexandro? Annon talis ille magistratus, qui cum unius phialæ furem duceret, Diogenes id videns dicebat: *Ecce magni fures parvum ducunt*, Laert. l. VI? Annon talis ille consul, qui armentario vacam perditam facile condonavit, putans esse alienam: at ubi intellexit esse suam, rigide exigit? Annon et herus ille, qui cum se inebriavit et vomuit, omniaque in domo evertit, rixis et clamoribus implevit, postero die rem salvam esse existimat, nec a quoniam veniam postulat: at si hoc idem famulus agit, eum domo sua exturbat, aut vehementius objurgat? Quamdiu Moyses virgam suam tenuit in manu, virgam credidit neque horrit; sed ubi eam abiecit, draconem existimavit, horruit et fugit, Exod. IV. Ad eundem modum homines multi, quæ suis agunt manibus, non existimant peccata: quæ vero ab aliis geri vident, dracones esse putant, horrent et reprehendunt. Verum hi, in quo alios judicant, seipsos etiam condemnant. Tu ergo, Christiane, sartorem imitare, qui sibi aptaturus vestem prius eam alteri induit, quod facere Davidem docuit Nathan propheta, cum Davidis crimen alteri impegit, quam cum David exclamaret filium mortis esse, suggestit illi propheta: *Tu es ille vir*, II. Reg. VII.

Omnes hæ conscientie reficiendæ et emendandæ sunt, si volumus in iis deprehendere vitia nostra. Prima quidem, quia ducit ad præcipitia animæ et corporis, Secunda, quia ducit ad impenitentiam. Tertia, quia ducit ad præsumptionem. Quarta, qui ducit ad desperationem. Quinta,

quia levia vulnera sanat, lethalia relinquit. Sexta, quia sanat aliena, propria non sanat.

VII. Superest rete integrum, et sua constans perfectione; conscientia, inquam, bona, quæ sola deprehendit et enecat peccata, conservat et tuetur a perditione animam, eique perpetuam affert tranquillitatem ut vel ipsi gentiles agnoverunt, Bias enim interrogatus, quænam res in vita metu carret, respondit: *Bona conscientia*, apud Max. ser. XXIV. Socrates rogatus, quinam tranquille viverent: *Illi*, inquit, *qui nullius absurditatis sibi consci*, apud Antonium, in melissa, p. II. ser. XLVII. Periander requisitus, quid in minimo esset maximum: *Bona mens*, ait, *in corpore humano*. Hoc igitur rete, auditores, sartum tectum semper studeamus conservare, quemadmodum fecit et docuit nos S. Paulus, qui Act. XXIV. coram præside Felice ait: *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et ad homines semper*, q. d. totum sum in eo, ut inculcate Deo serviam. Hoc ergo et nostrum, non unicum, præcipuum saltem studium sit, ut rete conscientie sanum et integrum habeamus semper, ac si forte casu aliquo laceretur, mox resarciamus cum discipulis hodiernis, ut tandem etiam cum iis comprehendere vitam æternam possimus. Amen.

## CONCIO II.

### HOMINES COMPARANTUR PISCIBUS.

I. Pisces aquis immersi sunt. — II. Majores devorant minores. — III. Capiuntur variis astibus. — IV. A capite primum fœtent. — V. In aqua fortes, in terra debiles sunt. — VI. Cauda natam regunt. — VII. Norunt suas commoditates.

### THEMA.

*Faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. IV.

Quod olim Deo dixit Habacuc proph. c. I. *Facies homines quasi pisces maris*, id in hodierno evangelio confirmat Christus Dominus. Si enim suos apostolos vocat piscatores hominum, utique non obscure homines vocat pisces. Et quidem recte ac sapienter. Piscibus enim similes sumus, sive nostram spectemus generationem, quæ aquis est baptismi, sicut piscium generatio ex aquis elementaribus, sive calamitates et tentationes, quibus in hoc mundo nunquam non jactamur: sicuti pisces in mari agitantur tempestatibus, sive multitudinem et varietatem ordinum, graduum, complexionum, linguarum, familiarum, cujusmodi varietas cernitur etiam in piscibus, sive denique mores et vivendi rationem, quæ n multis convenit cum ea, quam observant pi-

sces, uti mox videbimus quoniam ad nostram instructionem non parum facere videtur.

I. Pisces aquis toti immersi sunt, vagantur et oberrant, ludunt, discuntur celerrime, quasi maximis negotiis expediendis occupentur, interim tamen nihil agunt aut efficiunt: ita plerique homines mundi curis et voluptatibus immersi sunt, vagantur et discuntur, lucris, honoribus, divitiis inhiant, interim nihil efficiunt et vacuas referunt manus, uti sentient in morte, a qua sæpe obruntur insperato. Audi Senecam, l. I. epist. I. *Magna vitæ par elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus*. Domitianus imperator, teste Suetonio, in ejus vita, molem imperii Romani sustinens, cum negotia maxima tractare deberet, quotidie horas aliquot impendit muscis capiendis, et stylo configendis. Unde natum scomma in ipsum; *Ne musca quidem* (videlicet cum imperator est) quare vicissim ab œconomio suo occisus est. Heliogabalus imperator jussit tota Roma araneas earumque telas conquiri et ponderari, ut seiret quantum omnium pondus esset, et quantus Romanorum populus inde colligeret, ita plurimi mortalium tempus, quod æternitati impendere deberent et negotio salutis, utique plusquam imperiali, vanissime consumunt ludentes et exultantes, negotia vertunt in otia, seria in nugas. Muscam enim captant, cum gloriam et dignitatem ambiunt. Arcaneam venantur, cum gulæ et Veneri inæiant. Aranearum tela quærunt, cum vestes pretiosa ambiunt.

Cæterum pisces aliqui quandoque saltus dant super aquas, ne semper iis inhæreant, videlicet qui squamas habent et pinulas, et hi mundi declarantur, Levit. XI. alii immundi. Ejusmodi pisces mundi sunt, qui squamis, id est, gravitate morum, et pinnulis, id est, sensibus superna cogitantibus præditi sunt. « Qui subinde secretum contemplationis petunt, et undis sæcularium curarum supernatant, quique mentis saltibus ad superna concendere sciunt, ut eos amoris summi quasi libere æris aura contingat, » ut ait Sanct. Gregor, lib. V. moral. c. VI. Sic Magdalena septies in die ab angelis elevata in altum: sic momentur sacerdotes in septem horarem penso septies in die cor suum elevare: et David licet regis negotiis occupatus, ait: *Septies in die laudem dixit tibi*, Psalm. cxviii.

II. Pisces majores juxta Polybii proverbium, lib. XV. histor. *Glutiant minores*, tametsi ejusdem speciei, quod non faciunt alia animalia, ut S. Basil. homilia VII. hexameron, ait: « Major pars piscium liguriunt alter alterum, et minor apud illos esca majoris est, et si evenerit ut is, qui minorem superaverat, alterius præda fiat

ambo tum simul deglutiuntur et una ultimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cum vim inferimus inferioribus? » Hinc in proverbium abiit: *Vita piscium*, cum scilicet alter alterum suæ speciei conficit et vorat. Atque hoc est, quod queritur Habacuc, c. supra cit. *Quare facies, inquit, devorante impio justiore se, et facies homines quasi pisces maris?* Et quoties hoc contingit? Quod divites et potentes suis usuris, exactionibus, litibus protractis opprimunt, exsugunt, et fatigant pauperes, ut tandem bona sua illis dividere et litem deserere cogantur? Verum si pisces minorum voratores tandem et ipsi vorentur a majoribus, cujusmodi balenam vidimus non ita pridem, vasti corporis oxossatam, quæ præter alios pisces, aliquot delphinos tenuerat in alvo, quando capta fuit; quid mirum si idem contingat hominum prædonibus? Hinc illud Isaïæ, cap. XXXIII. *Væ qui prædatis! Nonne et prædaberis?* Assyriorum regnum et opes exhaurerunt Babylonii, hos voraverunt Persæ et Medi, hos rapuerunt Græci, Græcos Romani, Romanos barbari, Gotthi. Wandali, Alani, Longobardi. « Quis optat hæreditatem, ait S. Augustinus in Psalmum LXIV, nisi morte alterius? Quis optat lucrum nisi damno alterius? Quam multi aliorum defectione cupiunt sublimari? Quam multi ut emant, optant alios vendere res suas? Quomodo se invicem opprimunt, et qui possunt devorant? Et cum devoraverit uas piscis major minorem, devoratur et ipse a majore. » Et in Psalmum XXXVIII. *Vide ne forte cum vis esse præda minoris, sis præda majoris*. Certe tandem mors devorabit omnes, et suo ventre sepeliet.

III. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo*, ait Sapiens, Eccles. IX. Capiuntur autem pisces primo, curiositate. Solent Euboici piscatores de prora piscibus fallendis laternas quadam suspendere, quæ etsi intra se ignem habent, sic tamen lucem transmittunt, ut ignis quidem obtegatur, lumen vero translucet. Cum ergo pisces splendorem timeant, et mirentur, proprius accedunt cognitari quidnam sit quod vident; eo animadverso, magis adhuc timent, unde simul conglobantur frequentes ad saxum aliquod, ibique hærent stupefacti, aut ad litus impulsu exiliunt, ubi facile est eos configere tridente, Anton. de Balling. in zopp. Similes his curiosi homines, quia omnia indigare volunt, fiunt præda dæmonis. Hinc enim lapsus primorum parentum, hinc pleræque hæreses, hinc quotidiani lapsus juvenum et juvenularum, veluti illius Dinæ, ob suam curiositatem raptæ et oppressæ, Gen. XXXIV. Secundo, capiuntur esca

modica, sub qua latet hamus; similiter et homines, dum ad voluptatem tantum, licet modicam, attendunt, hamum vero latentem non vident, capiuntur a diabolo. Unde Plato voluptatem vocabat: *Escam malorum*. Ambulat diabolus juxta mare hujus mundi, et capit heu! innumeros, quia escam porrigit gusti placentem, sed quæ mox hamum remorsus infigat, et ad extremum mortem inferat. Ambulat juxta mare Christus, neque hamo aculeato, sed reti evangelii sui piscatur, nec ut mactet, sed ut vitam det; et quatuor tantum pisces capit. Ita plures nimirum carnificem sequuntur dæmonem, quam Salvatorem Christum.

IV. Piscis primum a capite incipit putere, juxta Græcorum proverbium, ita et respublica a rectoribus fere incipit everti, qui si ignavi et remissi sunt ad pietatem et virtutem, inde vitiorum putredo derivatur in totum ejus corpus. Deplorat et reprehendit hoc in populo Israelitico Isaïas, c. I. *Omne caput languidum*, inquit, *et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*. Loquitur de illo populo quasi esset corpus, per caput intelligit regem, per cor sacerdotem. Volens ergo ostendere causam corruptionis populi, præmittit corruptionem capitis et cordis, quasi diceret: Quia caput et cor languet, inde totum corpus. Propterea prima cura adhiberi capiti debet. Hinc cum Fridericus Trajectensis episcopus inter epulas a Ludovico Pio imperatore admoneretur, ut absque ullo personarum respectu jus diceret: *Recte mones, inquit, sed et illud a te scire cupio, utrum piscem hic appositum, a capite an a cauda aggredi debeat?* Cum imperator a capite tanquam præstantiore parte inchoandum respondisset, subintulit ille: *Ergo et tu, imperator, renuntia prius incesto conjugio quod contraxisti*: sic aliqui apud Baron. anno 338. Tymp. in spec. magistr. fig. LXII. Ita sane fecit Moyses, quando enim eo absente populus peccarat adorando vitulum, Exod. XXXII. corripuit Aaronem eorum sacerdotem et rectorem his verbis: *Quid tibi fecit populus hic, ut induceres super eum peccatum maximum?* En excusat populum et arguit rectorem. Quid tibi fecit populus? Quomodo te offendit, etc. Par ratio est in republica. Carolus V. imperator dum urbes lustraret, ad tria potissimum solebat respicere, ad horologium, templum et plateas, colligens ex his rectorum diligentiam. Horologium urbis est magistratus, qui nisi recte ambulet, necesse est urbs tota pessum eat. Unde idem imperator tres p. quærere solebat: *Ecquis in urbe esset prætor, pastor, præceptor?* Corn. a Lapide in Isaïam, c. III.

V. Pisces in aqua fortes, fugaces, indomiti et

rebelles sunt (omnes enim minime cicurari possunt pisces) sed si in terram extrahantur, viribus pene omnibus destituuntur, palpitant, et cito extinguuntur: ita mundi sectatores dum vivunt, audaces, presumptuosi, exleges, et indomiti sunt, ast ubi lethali aliquo morbo capti, e mundo ejusque voluptatibus extrahi se sentiunt, tum hæret illis aqua, tum concidere animo, horrere et tremere legesque acceptare incipiunt. Mementote illius piscis qui in Tigri adhuc natans, aperto ore quasi devoraturus Tobiam invadebat, Tob. VI. quem fugiens Tobias ad comitem suum: *Domine, inquit, invadit me.* Verum postquam piscis ille comitis hortatu brachiis apprehensus et in sicco tractus est a Tobia, cœpit palpitare ante pedes ejus. Tales sunt in mundo plurimi, qui dum bene valent, omnibus infesti sunt, omnes devorare volunt nullasque leges curant. Verum, ubi mortis angustiis occupati extrahuntur ex hac vita in alteram, tum incipiunt palpitare ante penes Dei, inducias postulare, veniam rogare, preces aliorum implorare, etc. Hoc videtur voluisse David cum Ps. IX. ait: *Constitu. Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt,* quasi diceret: Nesciunt isti homines tumidi et feroces, esse se homines ab humo scilicet dictos, et natos (Hebraice habetur enos, id est, ærumnosos et infirmos) itaque constituere super eos legislatorem (Chaldaice habetur, incute eis terrorem) quasi diceret: Doma eos timore mortis veluti gravi infirmitate. Sic domuis Deus Antiochum, qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia elatus et montium altitudines in statera appendens, etc. Huic feroci pisci incussit Deus terrorem grandem, scilicet infirmitatem, tantum viscerum dolorem, ut de corpore ejus vermes prodirent carnis diffluentibus, fœtorque intolerabilis, et tum demum agnovit se mortalem, dicens: *Justum est subditum esse Deo, et mortalem Deo non paria assentire,* cœpitque implorare Dei et Judæorum opem, quos antea affixerat, lamentari sortem suam, etc. II. Macch. IX. Ita Alexander M. orbis vastator credens se immortalem, ad extremum, didicit in lectum et cognovit quia, moreretur, I. Macchab. I. Ita Nantius comes Engolismensis, ut refert S. Gregor. Turon. lib. V. hist. Franc. cap. XXXVI. qui cum in sancta loca Deique ministros mala multa patrasset, a morbo correptus et nimia exustus febre, clamabit dicens: *Heu! heu! ab Heraclio antislite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor, cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse pontifici, mortem deprecor ne diutius crucier hos tormento.* » Hæc clamans infelicem ani-

mam fudit et corpus exanime nigerrimum, quasi ustulatum fuisset, reliquit. Hæc fere Greg.

VI. Pisces cauda sua, quasi clavo et temone regunt natatum, indeque didicerunt homines naves gubernare. Sic homines viæ suæ cursum dirigere deberent meditatione mortis et novissimorum; quo pacto non facile impigerent, aut a via salutis aberrarent. Quare non frustra Deus, Exod. XXIX, jussit sibi una cum adipe arietis adoleri caudam ejus. Voluit enim per hoc monere, ut omnes nostras delicias, cupedias, delectationes et actiones moderemus et temperemus meditatione mortis. Nec frustra præcepit Moysi, IV. Exod. IX. ut serpentem cauda apprehenderet, hoc enim facto, serpens mutatus est in virgam, qua deinde Moyses mirabilia patravit, et Pharaonem domuit, Serpens hic peccatum denotat, caput ejus suggestio est, cauda vero mors. Serpentem cauda arripimus, cum mortis meditationi incumbimus, quæ nobis meditatio plurima commoda afferet et diabolus expugnabit.

VII. Pisces norunt sua loca et tempora ad excludendos fœtus aliasque suas functiones idonea. Nam æstate ex variis maris sinibus confluent ad mare aquilonare pontum scilicet Euxinum, quod aqua ejus dulcis sit pariendæ et nutriendæ proli apta: mox tamen hieme adventante rursum agmine facto domum se recipiunt eo quod pontus ille hieme frigidior sit, quam ut ferri ab ipsis queat. S. Basilius, hom. VII. in hexam. scribit se hoc vidisse. Rursum Aristotele auctore, lib. II. de animalib. XII. *Pisces per hiemem ex alto in littore, teporis gratia veniunt: contra æstate ex littore in altum, vivantes æstum discedunt.* Norunt ergo pisces fugere frigus et æstum, et eligere sibi loca commoda; et nesciat aut nolit facere hoc homo? Profecto horrendum stagnum minatur Deus improbis, Apocal. XXI. *Timidis,* inquit Joannes, *et incrudelis e execratis* (id est execranda patrantibus) *et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idolatris et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagna ardente igne et sulphure:* et rursum, c. XX. dicitur: *Qui non invenius est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* In illo igitur stagno, quod ex sulphure undique eo confluente incenditur, et ardebit velut liquidum metallum, natabunt miseri pisces, et alii quidem toti immersi erunt, ut nec clamare queant, velut graviores peccatores: alii capite extabunt, veluti minores, qui clamare poterunt, sed quorum tamen clamores erunt lamentabiles. Maledicent enim et excrabuntur. Primo, seipsos, quod sibi causa fuerint tantorum suppliciorum; deinde, Deum quoque quod ab ipso conditi; postea, parentes, quod ab ipsis geniti; tum, malignos spi-

ritus, quod ab ipsis seducti; post hæc, socios suos, quod ab ipsis allecti; denique, creaturas omnes, quod ab ipsis quoque modo ad peccandum adjuti sint. Et erit igitur aliquis qui non fugiat hoc stagnum? Quis quæso non fugit incendium cum domus incipit cremari? Audite exemplum. « In Arles (provincia civitum hoc nomine appellant) quemdam Joannem Berle fuisse accepimus, (scribit P. Lud. Richeomus, in valedictione animæ, coll. V. ) qui cum admodum longo tempore a medicis deploratus, lecto affixus, ex paralyti jacuisset, quadam die in domo sua ignem conspiciatus fuit. Qui cum jam tabulatum cubiculi sui lamberet ac popularetur, repente ille horrore perfusus, et jam mortem sibi instantem animo inprimens, ita spiritus animales percussit nervorumque contractorum nodos abruptit, confestim ut lecto exilierit, et fenestra forte fortuna prehensa animose per eam saltu se ejeceret, velut metu ac terrore persequente et ignem et paralytin diuturnam effugerit. » Quid faciat igitur unusquisque ut gehennam effugiat? Quis non vincula peccatorum, pravorum suorum habituum omniumque impedimentorum fortiter abruptat? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* inquit Isaias, cap. XXXIII.

## CONCIO III.

CUR ELEGERIT CHRISTUS HOMINES SIMPLICES, ABJECTOS ET PAUPERES IN APOSTOLOS.

I. Ut appareret mundi conversionem a Deo venire. — II. Ut mundi fastus confunderetur. — III. Ut persuaderetur mundo doctrina evangelica. — IV. Ut pateret neminem a Deo repudiari. — V. Ut apostoli et sequaces in humilitate continerentur. — VI. Ne in electionibus haberetur ratio fortunæ, sanguinis, etc. — VII. Ut ostenderet munus apostolicum esse laboriosum.

## THEMA.

*Erant enim pisces.* Matth. IV.

Mirum multis videtur, quamobrem elegerit Christus pisces et horum similes, abjectos, pauperes, in apostolos suos. Cum enim mundus tria illa potissimum mirari et colere soleat, sapientiam, potentiam, nobilitatem, aversetur autem simplicitatem, impotentiam, ignobilitatem; quid est, quod non elegit tales, qui mundo placituri essent? Blasphemus ille Julianus imperator more suo etiam in hoc carpere Christum ausus est, cum dixit, Christum ideo rudes et imptos elegisse pisces, ut facilius eis imponeret. Quam tamen execrandam blasphemiam, uti et alias quam plurimas in Christum vibratas, satis

superque revocavit, cum vibrata in desuper lancea exclamavit contra illum: *Vicisti Galilæ.* Quare nunc indegamus, quo consilio id fecerit Christus.

I. Ut appareret opus conversionis mundi non humanum, sed divinum esse; et sic Dei gloria amplificaretur. Sic I. Cor. I. dicitur: *Ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.* Itaque nova bella elegit Dominus, ut dicitur Judic. V. Emisit enim oves in lupos, ad capiendum illos; lepores in canes; pauperes in divites; impotentes in potentes; ignobiles in nobiles; rudes in doctos. In hujus rei figuram. Judic. VII. trecentos viros ignavissimos (si Theodoro credimus, q. xv. super XVI. Judic.) qui canis instar e Nilo, aquam lamberant, elegit Deus ad expugnandos Madianitas: *Ne gloriatur contra me Israel, ait Dominus, et dicat: Meis viribus liberatus sum.* Qui etiam pro armis non nisi tubis vacuis, et lagenis testeis usi sunt. Tanto magis excellentia artificis laudatur, quanto in ineptiaribus instrumentis res fabricat præclarissimas: velut qui calamo rudi et fracto scribit, quam in integro et idoneo; qui ex seclapeto curvo bene jaculatur, quam qui ex recto: ita tanto magis claret Dei gloria in mundi conversione, quanto rudioribus apostolis ea facta est. Dixissent alioquin homines: Non mirum, si hoc effectum est, fuerunt enim legati sapientes, potentes, nobiles ad opus hoc adhibiti. Jam vero quis non miretur et prædicet Christi virtutem, cum per pisces cepit oratores? Hac de causa S. Paulus, II. Cor. VIII. apostolos vocat: *Gloria Christi.*

II. Ut mundi fastum et inflatam sapientiam confunderet. Hæc, etiam ratio affirmatur, I. Cor. I. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confendat fortia, et ignobilia et contemptibilia elegit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Quemadmodum in inflato aliqui discipulo, qui nihil non scire sibi videtur, opponit ludimagister aliquem multo juniorem, qui nuper primum scholam ingressus est, ut illius superbiam refundat: sic per pisces confundit Deus philosophos et oratores. Inflabant isti tubas suas, et vix paucos pertraxere ad sectas et scholas suas. Inflabant apostoli tibias suas pastorales, et orbem ad se traxere. Illi cum tanta eloquentia, et argumentandi peritia res tam plausibiles vix paucis persuadere; hi vero res difficillimas non difficile. Et hoc est, quod figurate indicabatur per maxillam asiini, qua fortissimus ille Samsen intendit milia viros, Judic. XV. teste D. Greg.